



Samelbd.

0/0

die,

68  
FRIDERICI MVSAGETAE  
SAXONVM  
DIEM ONOMASTICVM  
ET  
LYCEI NATALEM

CELEBRANT  
MVSAE TORGAVIENSES  
QVATVOR DECLAMATIONIBVS  
AD  
QVAS AVDIENDAS  
HVMANISSIME INVITAT  
M. CAROLVS HENRICVS SINTENIS  
RECTOR.




---


LIPSIÆ  
EX OFFICINA IACOBAÆRIANA, 1781.

FRIEDERICI WISSEDIAE  
SAXONIAE  
DIEI ONOMASTICVM  
ET  
LYCEI NATALIS

CELEBRANT  
MUSAE TOROAVIENSES  
CVATVOR DECLAMATIONIBVS  
A  
CVAS AUDIENDAS  
HUMANISSIME INVITAT  
M. CAROLVS HENRICVS SINTENIS  
RECTOR



LEIPZIG  
EX OFFICINA PUBLI-  
CATIONIS



**P**lenus ac redundans animus nullius rei cogitationi neque locum relinquit, neque aditum omnino concedit, nisi prius scripti praesentis occasionem indicauero, pectus tantopere mihi incaluisse sentio, vt, grauiſſimo laetitiae motu incitatus, commentationis tractandae finem exſpectare non poſſim. Cras illucebit nobis dies, qui FRIDERICI, *Optimi Patris Patriae*, nomine in faſtis inſignitus, omnium Saxonum animos laetitia ſuauiſſima recreat, quid Muſis igitur conuenientius eſt, quam, vt preces atque vota ſua in communionem diei tam fauſti conferant? *Seruet*, haec ſumma eſt illorum, quae *venerabundae* in optatis habent, *ſeruet* DEVS INDVLGENTIſſIMVM HVNC EVERGETAM *noſtrum fideliffimis Saxoniae ciuibus, potentiſſima tutela ſua ILLVM protegat, et ad extremum mortalitatis terminum omnibus rebus florentiffimum feliciffimumque perducatur!* Simul vero huic craſtini diei celebrationi accedit, quod *ducenti et viginti quatuor anni ſunt*, ex quo ab *Electore Sereniſſimo, AVGVSTO, MAVRITII Fratris*, tunc temporis regnante, Muſis *Torgauieniſibus* haec ſedes conceſſa eſt, ab omni ſtrepitu remota, ita, vt, *Rectore Moſero Celeberrimo*, in hoc domicilium ſodalium *S. Franciſci* a. d. IV. Nonar. Martiar. migrarent. Cuius diei memoria vt quotannis inſtauretur, adiuuante Deo, et conſentientibus ſcholae *Inſpectoribus Grauiſſimis*, quos *iuſta reuerentia colo*, ſemper curabimus, ſuffulti *Schroederi*, *Rectoris quondam Meritiſſimi*, liberalitate, quae alumnis noſtris anniuersariae in dicendo exercitationis, *in diem Lycei natalem nunc translatae*, occasionem praebet. *Quatuor* igitur illorum *iuuenum, quorum probitas atque induſtria magiſtris probatur*, laetitiam, quam ex ſalute ELECTORIS SERENIſſIMI, atque *Scholae*, fecundiſſimae matris multorum virorum in republica tam ſacra, quam ciuili maxime

conspicuum, nos omnes percipimus, *declamationibus solemmibus* expriment, et quidem hoc ordine:

I. CHRISTIANVS GOTTLIEB RIEHMERS, *Blumenbergensis Misnicus*, breui Lyceo omni laude dicturus Vale, differet latine *de gaudio Musarum Torgauensium ex felicitate PRINCIPIS* atque SCHOLAE.

II. CAROLVS GOTTLIEB FLECKEISEN, *Laasensis Misnicus*, germane dicet *de voluptate iuuenis ex iucunditate vitae scholasticae*.

III. ADAMVS GOTTLIEB DALLWITZ, *Torgauensis*, latine recenset *praesidia vitae, in schola feliciter gerendae*.

IV. IOANNES GOTTLIEB POETZSCH, *Audenhainensis-Misnicus*, augebit lingua germana *generosam in iuuenes, literis deditos, liberalitatem*.

Quos iuuenes vt ANTISTES SACRORVM SVMME REVERENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACROTES PLVRIMVM REVERENDI, PRAECEPTORES CLARISSIMI, omnesque Lycei FAVTORES HONORATISSIMI, cras hora III. post meridiem beniuole audiant, et frequentia sua diei tam *felicis, fausti, fortunatique* celebrationem nobis splendidiorem reddant, obseruantissime, et humanissime oro rogoque. P. P. Torgauiae, a. d. IV. Nonar, Mart. A. I. S. MDCCLXXXI.

---

NEPOS



# NEPOS ILLUSTRATVS

ET

## CASTIGATVS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

**E**tiam si dicerem, hoc ipso saeculo, tot sapientiae radiis collustrato, vixisse virum, qui, scholae Electorali cuidam praepositus, discipulos, ut NEPOTIS verba imitando ad alias res accommodarent, NEPOTEM SAXONICVM calamis excipere iusserit, nihilo minus persuasissimum habeo, haud paucos reperiri, qui, argumentum ad hunc scriptorem spectans in praesentia a me tractari, mirentur, meque parum bonae causae meae, viri illius quondam Celeberrimi exemplo inniti si velim, consulere. Alii enim eruditum illum, cuius aetas saeculi praesentis initia modo vidit, si nostris temporibus fuisset reservatus, idem facturum negabunt, alii, aut contra multorum, eorumque recentiorum rei scholasticae inflauratorum auctoritatē, eiusmodi exercitationes in latine scribendo cum inventute instituendas, aut NEPOTEM SAXONICVM illum, tanquam *compendium historiae Saxonicae* in scholis recipiendum, commendare me voluisse, putabunt. Tam communis fere est contentus, quo permultis eruditorum (quam latissime enim patet huius ordinis amplitudo) dignus videtur *Nepos*, ut, ipsos hunc librum legentes si opprimeres, pudore suffunderentur. Hi igitur quid de consilio a me iam inito sentiant, facillima coniectura assequi possum. *Vtilioris*, inquit, *pretii prolusio, cui mentem oculos-*

que infixos haberemus, nobis proponi non potuisset, nisi haec, quae in libello quodam illustrando occupata est, quem in pueritia iam ad fastidium usque iterum iterumque legimus! quis est nostrum, quem non pudeat in virili aetate lectionis eiusmodi auctoris, in quo exponendo puero-rum ingenia exercentur? quid commodi amplius, quam quod iam dudum consecuti sumus, quodque cernitur in eo, ut latinorum vocabulo-rum seriem ad Grammatices ordinem reuocare, et singulas voces, in-tegrasque dicendi formas intelligere didicerimus, ex Nepote in nos redun-dare potest? apage, ad puluerem scholasticum! apage — sed iam satis est, pluribus si illorum sermones imitando exprimerem, per me solum flaret, quo minus precibus meis, quas statim addam, locum relinque-rent, et euentus optatis responderet. Equidem enim vellem, ut publi-cis in ludis nostris, non pueri Nepote legendo exeruciarentur, sed, pro more Danicis in scholis recepto, iuuenes continerentur, quia vero hoc repugnaret publicae scholarum, quam violare nefas est, constitutioni nostrae, hinc saltem hoc est, quod in optatis habeo, ut hac commen-tatione aliquid conferam, quo illorum virorum, qui hunc Romanum auersentur, quosque ego, quamuis historicum, quem in deliciis sem-per habui, oderint, ob alias ingenii facultates magni aestimo, quo illo-rum igitur virorum studium, Nepoti accuratius et diligentius impen-dendum incendere possim. Optima, credite mihi, boni viri, optima, quae ad graecam historiam pertinent, continet documenta, vita Catonis et Attici, ab ipso descripta, luculentissime comprobata, quam egregie rerum publicarum gerendarum artem calluerit, quantaque prudentia ciuilis lectione ipsius possit addisci, intimos fere animi humani recessus, intimasque latebras penetrans, non solum res gestas summa industria refert, sed simul etiam rationes et momenta, quibus imperatores im-pulsi, facta praeclara susceperint, tam studiose inuestigat, ut descriptio-nes eius omnibus iis, qui doctrinae morum, animorumque humanorum cognitioni sollicitè operam dant, haud contemnendae videantur, mul-tumque adiumenti assert ad intelligentiam veteris regionum urbiumque appellationis comparandam, et fortasse non omnia in ordinanda acie, ab ipso commemorata, eiusmodi sunt, ut, quamuis ars militaris, no-stra aetate, longe aliam faciem sit nacta, nihil omnino superfit, quod in commodum suum conuertere possint ii, qui artis bellicae institu-tione sunt imbuendi. Periculum igitur faciatis, ego quo velitis pigriore vobiscum certo, vos multo grauiora atque iucundiora in Nepote, quam



in pueritia putaueritis, deprehensuros esse, nolite tædii culpam a magistro mechanico in ipsum scriptorem transferre, ipso vsu edocebimini, multum illi inesse suauitatis, quo numerum vestrorum grauitatem atque molestiam condire possitis! Eius porro in narrando fides atque sinceritas certissime vobis probabitur, maxima perspicuitas vos alliciet, et gratissima elegantissimaque scribendi ratio vos captos tenebit. In *Alcibiadis* enim vita primo statim adspectu vnicuique vestrum apparebit, *Nepotem*, nulli partium studio deditum, maxima simplicitate eorum seruasse mores, quorum vitam memoriae tradere instituerit, non omnia, adulandi studio incitatus, laudat, neque inuidientia inflammat, vllius imperatoris, quamuis non fuerit Romanus, gloriae quidquam detrahit. *Vtinam Agesilai exemplum imperatores nostri sequi voluissent!* tam libere sentit de Romanis belli ducibus, disserens de moribus huius Graeci, et maxima vrbaniitate in *Thrasylulo* tempora sua perstringit his verbis: *iam tunc fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnant, et certissime persuasum habeo, nos veri studium in Nepote* multo magis adhuc admiraturos esse, si fontes, ex quibus hausit, semper indicasset, aut si *Aemilius Probus* maiorem ingenii dexteritatem in describendo adhibuisset, aut ipse *Nepos* vt potuisset *Herodoto*, quamuis vetustiore. Breuitas, cuius in narrando et describendo studiosissimus est, non obest perspicuitati, cerniturque in eo, vt proprietatem, *Terentio* praesertim duce, retineat, dimissa vberiore copia, et quod ad elegantiam denique atque munditiem attinet, nemo sane est, quin *Nepotem* iure meritoque iis scriptoribus annumerandum censeat, quibuscum omnes ii familiaritatem contrahant, qui barbarae atque sordidae latinitatis animaduersionem sollicitè vitandam iudicent. Verbo vt omnia, quae in laudem *Nepotis* dici possunt, proferam, eximia eius praestantia omnibus, qui verae et exquisitae doctrinae gloriam consecuti sunt, tanta visa est, vt alteram operis eius partem, de *excellētibus inter Romanos imperatoribus* in lucem aliquando editam, quam *Plutarchus* in vitis *Marcelli*, *Gracchorum*, atque *Luculli* secutus est, quamque temporis inuidia nobis rapuit, vehementer doleant, probe intelligentes, nos, huius partis iacturam nisi fecissemus, historiam Romanam illis praecipue temporibus continuare posse, quibus *Liuius* et *Dionysius Halicarnassensis* pari fato deficiunt. Vtinam haec omnia, quae satis largam integrae orationis materiem praebent, illorum animis quam proxime admouere possim, qui *Nepotem* vmbra-

cum

cum puerorum magistrum aestiment, quique hac opinione praecon-  
cepta teneantur, huius scriptoris lectione nihil omnino se posse ad-  
pisci, quod ad augendam amplificandamque eruditionem conducatur!  
utinam haec omnia, quae uberius et copiosius tractari praesentis pro-  
lusionis ratio non patitur, tantam in illorum animis vim habeant, ut  
indignitatem, quam *Nepos* ab ipsis sustinet, intelligant, utque virilis  
ingenii alimentis hunc librum scholasticum annumerent! quae nisi fru-  
stra optantur, spem quoque concipere possum, fore, ut scriptum hoc  
qualecunque, quod publicae censurae subicere volui, benigne iudicent.  
Illos vero, qui fortasse ideo mihi succensent, quod argumentum com-  
mentationis elegi valde differens ab iis, quae huc usque in publicum ad-  
spectum emittere consuevi, quique dicunt: *scilicet id est, quod nos  
curamus! quid Critica ad nos? expectauimus a te querimonias de im-  
minente, aut iam aduentante barbarie, aut eiusmodi quid, abhorrens  
a praesentis aetatis elegantia, quodque risum nobis moueret, aut  
commiseratione dignum videretur, illos, inquam, humanissime obser-  
uantissimeque rogatos cupio, ut mihi in praesentia modo delectationis ex  
criticis nugis atque quisquiliis, quae ipsis videantur, capiendae veniam  
dent. Quantum in viribus meis positum est, id omne conferam, ut  
quamuis fusius disputem, ipsorum gratia rebus dicendis suauitatem ad-  
spargam, et fortasse nunquam eandem criminis culpam rursus contra-  
ham, quia NUNC TANDEM mihi persuasissimum est, magistri in  
iuuentutis institutione occupati officium non contineri *Humanitatis* et  
*Criticae* disciplina, sed ingeniosa inuentione *lusuum*, in quorum for-  
mam redigantur seria literarum studia, aut *plogularum* nitidissime pictu-  
rum, quarum vsu figurae literarum memoriae imprimantur, aut *ima-  
ginum* atque *picturarum*, quae sensibus atque commoditati, vel in ipsa  
GRAMMATICA addiscenda, inseruiant, aut denique *libelli cuiusdam  
germani*, cuius in lectionem (ne dicam *cuius lectioni*) incumbant liberi,  
ita, ut iam in proximas nundinas Lipsienses HORRENDAM CO-  
PIAM illiusmodi inuentorum venalem missurus sim.*

Consilium, quod spectat haec disputatio, duplex est, alterum  
cernitur in eo, ut lucem asserat loco euidam, ad quem accuratius con-  
siderandum, ut animum appellerem, *MURETVS in variis Lectioni-  
bus* me incitauit, quique legitur in *Nepotis* praefatione, his verbis con-  
ceptus: *neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, soro-*

rem

rem germanam habere in matrimonio, quippe cum eius ciues eodem vicerentur instituto. Illi eruditorum, qui, nescio, cur tam difficiles atque morosi sint, non omnia dant aetatis praesentis humanitati, sed exquisitae atque vtilis eruditionis praestantiam infucatae et inconstanti elegantioris, quod dicitur, ingenii laudi praeferunt, in pretio huic MURETI libro ponendo mecum consentiunt, nihilque magis dolent, nisi hoc, quod illi non idem contingere posse videtur, quod tam multis frivolis, aut saltem ieiunis scriptis, iisque germanis, iterum iterumque contingere legitur, ut repetito studio typis imprimatur, et ad frequentiores usum denuo prodeat, ne, ut optimum quidque, teste CICERONE, rarissimum est, ita in tabernis librariis frustra quaeratur. Non solum luculentissima summi in iudicando acuminis, copiosaeque lectionis scriptorum, tam profanorum, quam sacrorum, exhibet documenta, ut vnicuique appareat, quam facile MURETVS tam limato iudicio adiutus, eo elegantiae urbanitatisque Romanae progredi poterit, ut CICERONI, optimo et praestantissimo Romanorum scriptori, quam proxime imitando accederet, sed multa etiam continet, quas digna sunt, quorum vberiori adhuc explorationi tempus studiumque impendatur. Itaque non opus est, ut multus sim in defendenda fide, quam in iudicando hoc Nepotis loco MURETI auctoritati habendam censui, antequam animum industriamque ad accuratius examinandam eius sententiam intenderam, dubius, fateor, atque anceps haesitavi, utrum illorum sequerer, NEPOTEM, an MURETVM? huc accessit, quod ne vnum quidem interpretum reperire potui, qui Mureto reconciliando Nepoti studeret, quamquam non omnibus, multoque minus STAVERNIO, hic Mureti locus incognitus fuit. Hic, quem unusquisque, nisi, qui aetatis commodioris studio impulsus, compilatoris angustias, quam ipsius commentatoris copias malit, optime de Nepote illustrando promeritum pronunciat, Mureti mentionem facit, et in observationibus ad caput primum eiusdem imperatoris, de quo Nepos hic loquitur, multo maiori adhuc vberitate de eiusdem Critici sententia contraria disserit, sed accuratam rationem non indicat, qua Nepotem inter atque Muretum omnis lis et controuersia possit componi. Vix igitur me retinere potui, quin huic exercitatissimo Latinitatis Censori tantum tribuerem, ut fere persuasissimum haberem, aut Nepotem hic errorem in praefatione commississe, eo facilius condonandum, quo frequentius in multorum librorum, vel germanorum, praefationibus multa falsa pro more

more dici soleant, aut *Probum* hic quoque, vt multis in aliis *Cornelii* locis, supinae in describendo negligentiae culpa teneri. Iam vero, instituta sollertiori huius loci contemplatione, longe aliud edoctus, *Nepotis* verba incorrupta, *Muretum* vero illi, quasi aut domesticae barbariei reo, aut historica fide indigno, vim attulisse statuo, et in sequentibus vberiore ratione iudicium hoc comprobabo. Alterum, quod hac in Commentatione mihi proposui, versatur in eo, vt planum faciam, *Nepotem*, vt hic in praefatione res eius salua sit, sic alio quodam loco fidem non mereri, eiusque verba a Criticis ibidem esse castiganda. Deprehenditur hic locus in *Cimone* cap. IV. et sic se habet: *saepe cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit.* Omnes, quos consului, interpretes ne verbum quidem proferunt, quod *Nepoti* fidem faciat, nihil amplius illis fere omnibus monendum videtur, nisi hoc, quod eiusdem benignitatis laus a *Sulpicio Seuro* tribuatur *Martino*, Episcopo, et *Smyrnaeis* a *Tacito* lib. IV. Annalium cap. 56. vt prudentius fecissent, si haec quoque exempla, accommodationi tam parum apta, praetermississent, dum fontes, ex quibus hausit *Nepos*, perscrutari ipsis non placuit. *Stauerium* illos ante oculos habuit, digitumque ad illos intendit, vt facile locum emendare potuisset, sed nihil omnino mutat, nescio, qua ratione re- tentus, cum tamen saepissime aut ipsam lectionis emendationem vt suadeat, aut saltem de scriptoris corruptione conqueratur, in more positum habet, neque *Mitris Harlesius*, qui recentissimam *Nepotis* editionem curavit, in obseruationibus quidquam assert, quo coniecere possum, ipsi hunc locum suspectum videri, impeditus sane tot, tamque innumeris fere negotiis atque libris et scriptis, quae singulis nundinis in lucem emittit, quo minus omnia aurificis statera examinet, et vt dicam, quod sentiam, *Stauerium*, et eiusmodi quemcunque interpretem coarctare, atque peranguste in commentariolo quodam referre, longe imparem vtilitatem praestare mihi videtur, quam quae expectari possit, si viris tanta eruditionis laude conspicuis placeat, et animaduersiones et collustrationes suas ipsis illis maioribus interpretibus adhuc addere, quod *Fischerus*, quem honoris causa nomino, in *Theophrasto*, et *Kuhnus* in *Aeliano*, aliique fecerunt. Verum est, pretium librorum hac ratione valde augeri, sed docti dolent quamcunque veram iacturam, maxime si nullo alio modo compensatur, et, qui iuuentutis scholasticae commodis istiusmodi in angustias constrictis editionibus

consuli putat, is mihi saltem parum peritus videtur, et *uelatis iuuenilis virium, et iuuenum leuitatis*. Omnibus igitur, vt redeam, interpretationis subsidiis priuatus non possum non credere, *Probum*, hic oscitantem, deprauatae lectionis culpam a se amouere non posse, verbaque *Nepotis*, quia mentem exprimant, tam per se veri similitudini, quam aliorum testimoniiis repugnantem, necessario esse mutanda. Quamquam enim vnicuique facile largior, saepius eximii in iudicando acuminis documentum in vindicanda et defendenda, quam vituperanda et corrigenda, lectione recepta, exhiberi, et multos reperiri, qui, scabie quadam emendandi infecti, aut magnae Critices peritiae, magnique ingenii laudem appetentes, si quid occurrat eiusmodi, quod non statim intelligant, ad leuissimas plerumque coniecturas confugiant, tamen mihi persuasissimum est, locum praesentem nulla alia ratione cum veritate posse componi, nisi existimem, illum a librarii incuria aliquid vitii traxisse. Eruditis explicationem, quam necessariam putavi, iudicandam relinquam, et, praemunito duplici huius speciminis critici consilio, ad singula argumenta tractanda progrediar.

MURETVS igitur in variis lectionibus Lib. XV. cap. 5. *Nepotem* in verbis, ex praefatione supra citatis, erroris postulat, propterea quod dicat, *Athenienses hoc instituto usos esse, vt sororem germanam in matrimonio haberent*. Negat Muretus, hunc morem, ipsi naturae humanae eiusque propensionis insitae repugnantem, ab *Atheniensibus*, omnes reliquas gentes vitae elegantioris cultu longe multumque superantibus, vnaquam esse receptum, quo liberi *ex iisdem parentibus oriundi* matrimonium iniissent, et argumenta, quae pro confirmanda hac sententia profert, tantae grauitatis primo adpectu videntur, vt non possis non illi assensum praebere, et in suspicionem adduci, aut *Nepotem* hic parum studiosum fuisse veri, aut verborum ipsius feriem siue violenta manu, siue ab ignorantia esse corruptam, vt integer locus mendo laboraret. Duo sunt momenta, quae nobis ponderanda proponit, quorumque prius a sanctitate legum deducitur, quas *Solon*, sapientissimorum *Archontum* vnus, tulerat, et quis est, quem fugiat, illas concessisse *Atheniensibus*, eodem patre natas sorores, non eadem matre, vxores duere, quemadmodum *Lycurgus* apud *Spartanos* fauerit contrarium? quotusquisque est, quin memor sit testimonii *Philonis Iudaei*, ad vtramque legem confirmandam, dicentis: Ὁ Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατῆρος

πατέριος ἐφείξ ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητέριους ἐνώλευσεν, ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἐμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστέριους γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατέριους ἀπέπειν, i. e. *Atheniensis Solon permixti consanguineas ducere, uterinas prohibuit, Lacedaemoniorum vero legum auctor contrarium, uterinas concessit, consanguineis interdixit?* omnes, qui graecae historiae monumentorum cognitionem aliquam modo tenent, cognitum perspectumque habent, quanto desiderio *Atheniensis*, ninis feuerarum *Draconis* legum odio atque aversefactione incensi, illas arripuerint, quas ip̄s promulgauerat *Solon*, quantaque fuerit auctoritas, quam illis semper vindicarint, vt extra omnem dubitationem positum sit, *Pisistratum*, bis iam fugatum, nunquam regnum, vaftris artibus tandem occupatum, obtenturum fuisse, nisi eandem, quam reliqui ciues *Solonis* legibus praestabant, testatus esset reuerentiam. Fieri igitur non potest, vt apud *Atheniensis* consuetudinis fuerit, liberos, iisdem parentibus prognatos, matrimonii vinculum constrinxisse, ipsa humanitas abhorret ab hac incestus, atque ferinae libidinis forma, et eiusmodi inquinatae et pollutae nuptiae apud *Aegyrios* quidem, *Aegyptios*, *Persas*, aliasque gentes barbaras, fieri solebant, sed apud *Graecos* erant prohibitae. Hinc auersatur *Herodianus* lib. I. cap. 3. *Ptolemaeum Philadelphum*, qui μέχρις ἀδελφῆς ἰδίας ἔρωτος προχωρήσας παρά τε τοὺς Μακεδόνων καὶ Ἑλλήνων νόμους, i. e. eo turpitudinis prolapsus est, vt contra *Macedonum* atque adeo *Graecorum* omnium leges etiam sororis amoribus implicaretur, et *Euripidis* Scholiae in *Andromache* ad versum 175 sequu.

— Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος,  
Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,  
Κόρη τ' ἀδελφῶν, διὰ φόνου δ' οἱ φίλτατοι  
Χωροῦσι, καὶ τῶν δ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος,  
Ἄ μὴ παρ' ἡμᾶς εἰσφῆς,

— Tale est omne barbarum genus,  
Pater enim filiae, et filius matri miscetur,  
Sororque fratri, per caedem charissimi  
Vadunt, et horum nihil prohibet lex,  
Quae ne apud nos introducas,

addit:

addit: ταῦτα περὶ τὰ ἔθνη, ἐν ἡμῶν δὲ μὴ πράττει τῶν βαρβάρων τὰ ἔθνη, οὐδὲ οὐδὲ νόμος καλοῖ, αὐτοὺς δηλονότι πράττειν ταῦτα, i. e. *hi sunt mores Persici, apud nos vero barbarorum facta noli imitari, qui nulla lege tenentur, eos sic vivere, constat.* Quibus allatis luculenter apparet, quantopere in vniuersum omnes *Graeci* detestati sint eiusmodi matrimonium, quod apud barbaros ii contraxerunt, qui eodem patre eademque matre erant nati, et quantum roboris reddere *Mureti* argumento, quo *Nepotis* fidem hac in re suspectam reddere studet. Ridiculum enim esset, si dicere velles, *Solonis* inter et *Cimonis* aetatem ducentorum amplius annorum spatium interesse, fortasse igitur tunc temporis, quo *Cimon* vixerit, illarum legum, quas *Solon* dederit, auctoritatem infractam et deminutam esse, quo minus eadem, qua antea, sanctitate colerentur. Vel Romanorum *Decemviri* pronunciant contrarium, risuique exponunt omnia, quae tam absurde excogites. Posterius denique, quo *Muretus* ad refellendum *Nepotem* innititur, non minoris videtur grauitatis, ex ipsa *Cimonis* vita deriuatum. *Cimon*, inquit, ideo in exilium est pulsus, quia sororem germanam in matrimonio habuit, et ad confirmandam hanc sententiam *Cyrylli Alexandrini* contra *Iulianum* vitur testimonio. Quid igitur certius, quid magis indubitatum esse potest, quam hoc, *Athenienses* quam longissime remotos fuisse ab eiusmodi nuptiis, quas liberi, ab iisdem parentibus procreati, apud barbaros celebrarint? quam iniustam et iniquam poenam a *Cimone* sumisissent, ipsi si eodem instituto essent vsi, ob quod illum in iudicium capitis vocassent? nihil igitur restat, quod exinde eliciendum *Mureto* videatur, nisi hoc, *Nepotem* errorem commisisse, eiusque verba fide esse indigna, aut, differentiam aliquam neglexisse, quam Critices latinae peritissimus quisque, probatissimorum aureae latinitatis scriptorum lectione assidua con motus, notatu dignissimam iudicet. Tres enim sunt voces, *consanguinei, uterini, et germani*, inter quas discrimen quoddam, pro optimorum auctorum vtu, intercedere videtur, vt illi sint eodem patre, non eadem matre geniti, isti eadem matre, sed alio patre oriundi, hi denique, ab iisdem parentibus in lucem editi, eamque significationis diuertitatem non solum *Muretus* ad hunc *Nepotis* locum, sed etiam *RVTGERSIVS* in variis lectionibus lib. I. pag. 40 ff. vrget. Quae omnia simul sumpta, tam, quae de peculiari *Solonis* apud *Athenienses* auctoritate literarum

monumentis memoriae sunt prodita; quam, quae ex *Cimonis* supplicio possunt conici, quid? quod, ipsius linguae latinae indoli conuenientia reperiuntur, haec, inquam, omnia in animo meo tantam initio habuerunt vim, vt magna dubitatione aestuarem, ad quas partes transirem. Iam in eo eram, vt vocabulo *germanam* sublituerem in *Nepote* meo vocem *consanguineam*, sed alio tempore mihi rursus in mentem veniebat exsilium, quo *Cimon* mulctatus a *Mureto* dicatur, quo tamen, si forem eodem patre genitam, sed diuersa matre natam, in matrimonium duxisset, infons et iniquo modo affectus esset. Satis diu vexatus, nunc demum multo accuratiori circumspectione intellexi, quid scrupulum iniecerit *Mureto*, quidque illum impulerit, vt *Nepotem* erroris hic conuincere se posse crederet, illumque in describendis variarum gentium moribus testem locupletem esse negaret. Quod cum indagauerim, et eiusmodi esse animaduertirum, vt facile refelli atque infringi posset, *Nepotis* causam suscipiam.

Non eo amoris studique in *Nepotem* progredior, vt, si quis falsa nonnunquam narrasse illum contenderit, ego partes contrarias tuear, aut calumniae culpam conflare existimem, de fide huius, scriptoris si quis sit, qui subinde dubitet. Quemadmodum enim in vniuersum nimiae atque ridiculae in veteres, tam Graecos, quam Romanos, reuerentiae nimique cultus is sibi contrahit suspicionem, qui tanto illorum amore capi se patitur, vt multo minori errandi periculo, quam ipsa humanitas ferre videatur, illos obnoxios fuisse censeat, aut errores, quos nonnunquam vere commiserunt, tantopere minuat atque molliat, vt parum ab elegantiae virtutibus verique norma deflexisse credantur, ita maxime haec spes frustra conciperetur, fore, vt omnia, quae a *Nepote* narrentur, tam facili negotio vindicari sinceritatisque studio reconciliari possint, vt omnes maculae atque labes abstergi, omnesque de fide illi habenda dubitationes evanescere videantur. Industria, quam doctorum permulti hoc in scriptore iudicando collocatam habuerunt, haud paucos indicauit errores, et vel recentissimis temporibus Cl. SCHLEGELIUS in *observationibus in Nepotem criticis et historicis* illorum nonnullos, a *Stauernio* iam notatos, rursus in censum deduxit, quorum ex numero, ad collustrandam, quam de *Nepote* tuli, sententiam, illos eligam, quos ipse etiam, facta cum *Herodoto* compara-



paratione, animaduersione dignos iudicavi. In quatuor primis, quorum vitam descripsit *Nepos*, imperatoribus (de *Cimone* enim perpauca in *Herodoto* deprehendi) tanta inter utrumque scriptorem reperitur dissimilitudo, ut contra *Stauerium* firmissimis argumentis probare possim, *Nepotem* non solum non secutum esse, sed ne nouisse quidem *Herodotum*. Quod si copiosius esset confirmandam, possem praeter alia ad ipsius *Nepotis* verba prouocare, quae in *Themistocle* cap. 9. leguntur, ubi statim ab initio *Thucydidem* aetate proximum nominat inter illos, qui bellorum cum *Persis* gestorum historiam reliquissent, sed persistam in recensendis erroribus, quorum *Nepos*, illum si cum *Herodoto* contuleris, iure accusandus videtur. *Herodoto* enim num *Cornelius* sit praefendus, si dubito, nemo sane est, qui me reprehendat. Is, qui *Halicarnassi* natus, nullo in aliquam *Graeciae* ciuitatem ferebatur studio, qui integerrimi animi laudem prae se ferens, iudicii acumine excellebat, qui in *Asia*, quae vera essent, perquirere poterat, et approbante tota *Graecia* historiam rerum, in recenti adhuc memoria versantium, ita recitauit, ut ipse *Thucydides* ploraret, is sane non solum *Nepoti*, sed etiam in nonnullis *Xenophoni*, *Ctesiae* et *Plutarcho*, palmam praeripit, eorumque fidem dubiam reddit. Quibus suffultis, silentio praetermittam, quae in vita *Miltiadis* repugnantia *Herodoto* literis consignauit, *Nepos*, nihil dicam de pugna *Marathonia*, quae in multis differt apud *Herodotum* a narratione *Nepotis*, nihil dicam de irrita *Pari* oppugnatione, a qua destitit *Miltiades*, longe alia ratione impulsus, quam quae contenditur a *Nepote*, nihil dicam de *Miltiadis* accusatione, defensione, et morte, quae omnia a *Nepote* sic referuntur, ut non arctiori scribendi genere constricta, sed valde mutata, videantur. Neque illam urgebo diuersitatem, qua in vita *Themistoclis* a *Nepote* negatur quisquam, praeter hunc imperatorem, intellexisse, quo ualeret responsum *Pythiae*, cum interrogata ab *Atheniensibus*, quidnam facerent de rebus suis, responderat, ut moenibus ligneis se defenderent, *Herodotus* uero scriptum reliquit, quosdam fuisse *Atheniensium*, qui eiusdem intelligentiae documentum exhiberent, ut dicerent, consilium *Apollinis* esse, ut in naues se suaque conferrent. Tria alia sunt exempla, quae mihi, instituta *Nepotis* cum *Herodoto* collatione, multo adhuc grauiora videntur, ad stabiliendam sententiam, nonnunquam falsa ab illo memoriae esse prodita. Primum hoc sit, quod eodem capite

pite secundo *Themistoclis* legitur, vbi hic imperator non solum ad bellum *Corcyraeum* gerendum a populo praetor factus, sed etiam tanta felicitate vsus dicitur, vt *Corcyraeos* fregerit. Vix dicere possum, quoties *Herodotum*, qui Graecorum bella intestina magna sane industria atque assiduitate commemorat, de hoc bello Atheniensium contra *Corcyraeos* frustra consuluerim, cuius tamen certissime mentionem fecisset, si vquam eiusmodi bellum gestum fuisset. Ipso potius *Herodoto* teste lib. VII. Athenienses a *Corcyraeis*, cum *Xerxes* transitum in Graeciam pararet, auxilium postulant, et. auctore *Thucydide* ideo potissimum ad hos populos confugit *Themistocles* exsul, quia bene quondam de iis erat meritus. Recte igitur conicit *Stauerius*, *Nepotem*, quae in bellum *Aegineticum* cadant, ad quod ipse *Herodotus* l. c. idem *Themistoclis* consilium de classe ex metallorum prouentu comparanda transfert, ea ob minus accuratam Graeciae antiquae cognitionem de *Corcyraeo* dicere, de quo nemo veterum scriptorum vquam quid prodidit, praeter *Plutarchum*, qui tamen cursim tantum huius belli memor est, cuiusque testimonium, nisi aliis adhuc testibus suffulcitur, apud doctos nihil valet. Alterum exemplum, quod ad iudicandam *Nepotis* fidem afferam, reperitur cap. 2. *Aristidis*, vbi hic belli dux pugnae nauali apud *Salamina* interfuisse, et apud *Plataeas* Atheniensium praetor fuisse dicitur, statim vero addita leguntur sequentia: neque aliud est vllum huius in re militari illustre factum, quam huius imperii memoria. Hic sane parum adest, quin *Nepoti* fubirascat, quia tam multum huic praestantissimo viro, quem inter omnes fere Graecorum imperatores plurimi facio, eiusque gloriae detrudere videtur. Quid sibi vult haec forma dicendi: interfuit pugnae nauali apud *Salamina*? quid valoris, quid roboris illi inest, si ad *Aristidem* transfertur? non de vnoquoque milite gregario dici potest? praeclearissimum illud *Aristidis* factum, quo cum *Themistocle*, innocentiae suae obtrectatore, eoque malignissimo atque inuidiosissimo, a quo insons exsilio decem annorum multatus erat, hac ex ratione in gratiam redit, quia intelligit, quantum, si simulates deposuerint, patriae ambo in tanto discrimine prodesse possint, quae vero clades ciuibus infligatur, implacabili odio si diutius a se discrepent, nonne hoc factum praeclearissimum dignum fuisset, quod summis laudibus praedicaret *Nepos*? quilibet certe lectorum hic multum *Nepoti* indulisset, si vel oratoris copia in augenda hac animi generosi

generosi indole vsus esset. Quanta hic erat officiorum collisio siue pugna! quanta animi aequitas, qua ferebatur poena iniusta! quanta propensio ad salutem patriae! quanta animi facilitas, qua dextram dabat inimico, tanto liuore incenso! Quis *Aeginetos* incitauit, vt, antiqua similitate deposita, in pugna *Salamina* cum Atheniensibus pro communi Graeciae salute tam strenue pugnarent, vt, teste *Herodoto* lib. VIII. 93. inter Graecas ciuitates palmam referrent? nonne *Aristides*, in insula *Aegine* exsul commoratus, rem eo perduxit? haec omnia igitur lateant in hac elocutione: *interfuit pugnae nauali apud Salamina?* nihil porro dicam de rebus *Aristidis* apud *Plataeas* gestis, quibus in recensendis *Herodotus* lib. IX, multo copiosior est, quam *Nepos*, qui modo dicit: *praetor fuit*, quia fortasse breuitatis studio excusari potest, et iisdem verbis haec ipsa breuitas aliquid grauitatis atque sublimitatis conciliare videtur, maxime dum statim adicitur: *quo Mardonius factus est, barbarorumque exercitus est interfectus*. Quanta vero licentia negare audet *Nepos*, huius imperatoris *ullum aliud in re militari esse illustre factum, quam huius imperii memoriam?* nonne etiam in pugna *Marathonia* Atheniensibus vna cum *Miltiade* praefuit? quamquam enim omnes scriptores hoc in proelio primas deferunt *Miltiadi*, tamen et *Aristidi* debitam laudem tribuunt, qui modestia atque virtute non minimam huius victoriae partem sibi vindicare potuit. Quodsi igitur breuitatis causa hanc pugnam iterum *omittere tantum* voluisset, hoc illi facilis concederem, quod vero *omnino negauit, ullum aliud etc.* hoc mihi luculentissime testatur, quam parum fidei illi nonnunquam sit habendum. Tertium denique exemplum, quo idem confirmarim, occurrit in *Pausania*, et quidem capite statim primo, vbi haec verba inueniuntur: *huius illustrissimum est proelium apud Plataeas. Nam illo duce Mardonius — haud ita magna manu Graecia fugatus est*. Summo studio *Herodotus* lib. IX, tam grauis, quam leuis armaturae *Graecorum* milites enumerat, qua ex ratione elucet, exercitum Graecum, qui cum *Mardonio* conflixerit, constituisse numerum 108900 armorum. Istiusmodi manus in *historia Graecorum* nominari non solet *haud ita magna*, equidem nullam maiorem in *Graecorum* historiae monumentis reperi, quid vero est, quod, cum res sic se habeat, soli *Pausaniae* sit vindicandum? nonne hic *Cicero* diceret: *praeter fortunam, tantus exercitus, quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit*

ducit suum, et in istius gloriae societatem se offert? Iam satis est. Non facile quisquam me in concedendo tam difficilem reperiet, quin ipsi largiar, subinde nonnullos *Nepotis* reperiri locos, qui a vero longe multumque recedant, ideoque nulla fide digni videantur.

Hic vero in praefatione, ubi *Nepos* contendit, *Athenienses* hoc instituto usos esse, ut sororem germanam in matrimonio haberent, hic, inquam, salua res est, et, quia *Cicerone* auctore, innocentem absolui, utilius est, quam nocentem causam non dicere, hinc omnem nunc dabo operam, ut *Nepotis* causam agam, illique *Muretum* reconciliemi. Tria momenta sunt, quae, ad defendendam *Nepotis* fidem, unicuique Critices amantissimo examinanda proponam, quae si non omnino displicuerint, habeo, quod mihi gratuler. Primum est: *Muretus*, *Ciceronianus*, vocem GERMANVS ex *Ciceronis* usu loquendi interpretatur. Qui latinitatis *Ciceronianae*, eiusque interioris indolis, tam absolutam tamque accuratam cognitionem sibi compararunt, ut praestantiam eius non in sola singulorum vocabulorum elegantia, aut integritate formarum dicendi urbanitate, sed potius in periodorum conformatione, earumque arctissimo vinculo, in numerosa verborum collocatione, in admiranda copia, peculiari perspicuitate, in animos feriente gravitate, atque exinde oriunda suavitate, positam putent, si in uniuersum omnes in eo consentiant, ut *Muretum* in paucorum illorum numerum referant, qui assiduo imitandi studio, magnaue ingenii felicitate, id assecuti sunt, ut, iisdem dicendi virtutibus ornati, ad hunc *Romanorum* principem quam proxime accederent. Eius orationes et epistolae comprobant, quam parum ipsum inter et *Ciceronem* interfit. Quid igitur est, quod mireris, illi non tam studiose et multum in *Ciceronis* libris volutatum, in eam huius scriptoris consuetudinem familiaritatemque adductum esse, ut in explicanda voce *germanus* illius tantum significationis meminerisset, quae in illius scriptis frequentissima est? ubique fere locorum, quoties *Cicero* hac voce usus est, haec obtinet potestas, qua denotat ex iisdem parentibus natum. Sic pro *Domo*: *Clodius cum sorore germana nefarium stuprum fecit*, pro *Milone*: *occidi eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisset*, *L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse*, pro *Fonteio*: *cum praesertim virgo germana, fratrem amplexa tenet*,

pro

pro Ligario: moueant te horum lacrimae, moueat pietas, moueat germanitas, pro Caelio: vicinum eius mulieris miraris male audisse? cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit, de Finibus: L. Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus, et quis est, qui omnes locos, quorum nonnulli vel in NIZOLII Thesauro Ciceroniano frustra quaeruntur, ad vindicandam hanc sententiam, enumerare necessarium putet? sufficit, indicasse, quo Muretus impulsus sit, vt hanc vim voci germanus tribueret, qua de illis liberis dicitur, qui ex iisdem parentibus oriundi sunt. Sed nihilo minus eadem elegantia, siue munditie, Nepos hanc vocem ad exprimendam hanc notionem consanguinei vsurpare potuit, et hoc alterum est, quod contra Muretum monendum iudico. Quamquam enim eiusmodi loci multo rariores sunt (nisi fortasse WESSELINGIVS in Observationibus, qui ad hunc Nepotis locum citatur, quemque vel Lipsa frustra expectauit, plures inuenit) quibus haec significatio conuenire videtur, negari tamen non potest, vocem germanus tam de consanguineis, quam uterinis adhiberi. Sic LIVIVS lib. XL. cap. 8. Philippum, iudicem inter duos filios ita loquentem inducit: spes animum subibat — subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, et constat, Perseum et Demetrium fratres tantum consanguineos fuisse, LIVIVS lib. XLI. cap. 27. insignis nota fuit Cn. Fuluii, qui frater germanus, et, vt Valerius Antias tradit, consors etiam consoris erat; VIRGILIUS Aeneid. V. 412. haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat, vbi Seruius recte monet, Erycem fuisse Aeneae fratrem uterinum, Veneris et Butae filium. Quid? quod, ipse CICERO Verr. I. 49 germanos fratres, vt Celeberrimus Ernesti in Clauis notauit, vocat illos, qui eadem matre nati erant, non etiam patre, vt his exemplis euidenter appareat, Nepotem sororem germanam eam potuisse nominare, quae Cimoni erat consanguinea. Quid? restat tertium, nimirum vt planum faciam, Nepotem illam Cimonis sororem non solum potuisse, sed etiam voluisse hoc nomine insignire. Hoc cartissime duobus ex locis colligi posse mihi videtur, quorum alter legitur in Cimone cap. I. et sic se habet: in matrimonio autem habebat sororem germanam suam — nam Atheniensibus licet, EODEM PATRE NATAS vxores ducere. Nonne hic Nepos ipse verborum suorum interpres est maxime perspicuus? cur iniuste igitur Muretus illum

illum erroris commissi in praefatione postulat? alter locus, ad quem prouoco, reperitur in *Timoleonte* cap. I. his verbis conceptus: *hac mente per haruspicem, communemque affinem, cui soror, EX IISDEM PARENTIBVS NATA, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curauit.* Quid? nonne etiam hic in praefatione eadem dicendi ratione vsus esset, si idem de *Cimone* contendere voluisset? nonne ipsi in vsu est hic loquendi modus: *ex iisdem parentibus nati sunt*, si sermo incidit in eiusmodi liberos, qui a *Cicerone* dicuntur *germani*? In hac igitur causa, tametsi cognoscitur auctoritas *Mureti* contraria, tamen, omiſsa omni opinione praeciudicata de tanto Latinitatis Cenſore atque Vindice, ipsa re et ratione exquirere debeo veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta sunt, omnes si vera esse concedent, qui vel eodem, quo ego, in *Muretum* studio feruntur. Nimis seuerum atque difficilem *Nepoti* illum hic praebuisse se iudico, veteris huius scriptoris integritas hac in re haud dubie salua et incorrupta est, vt tam ignorantiae, quam perfidiae abſoluendus sit. Sed memini, *Muretum* hanc quoque causam exſilii *Cimonis* perhibere, quod sororem, ex eodem patre eademque matre oriundam, contra leges *Solonis* duxerit. Ne igitur quis putet, huic documento, quo *Nepotis* crimen falsi augeri videatur, multum roboris inesse, opus est, vt hoc quoque infirmum atque diluam. Non negauerim, *Muretus* si testem idoneum et locupletem produxisset, hoc argumentum tantae esse grauitatis, vt omnis spes esset abiicienda, fore, vt vnaquam *Nepotis* fides possit vindicari. Sed pro eo, quod legendis *Graeciae* historicis qualicumque ratione impendi, studio, quodque mea eiusmodi antiquitatis venerandae scriptorum cognitio contendere me patitur, haec causa, cur *Cimon* patria pulsus a *Mureto* dicitur, falsissima est. Bis quidem mulctatum hunc imperatorem esse, in graecae historiae monumentis, et vel ab ipſo *Nepote*, illorum interprete, consignatum est, sed ob longe alia momenta, siue crimina, quorum neutrum illud est, cuius eum *Muretus* postulat. Pater eius cum libem aestimatam populo soluere non potuisset, ob eamque causam in vinculis publicis decessisset, *Cimon* legibus Atheniensibus eadem custodia tenebatur, donec per sororem *Elpincem*, quam in matrimonio habebat, liberabatur, deinde incidit in tyrannidis suspicionem, vt testarum suffragiis, siue *Ostracismo* decem annorum exſilio afficeretur.

tur.

tur. *Cyrillus Alexandrinus*, quem *Muretus* sequitur, in rebus ad coetum sacrum pertinentibus, maxime, si confirmandum est, religionem christianam non facile habuisse hostem, uti specie leniorem et mitiorem, ita re ipsa grauiorem et atrociozem, quam *Iulianum*, testis sit, quem admittas, sed in *historia ciuili* nemo sane illius testimonio, eoque solo, innititur, nisi, qui pro eiusdem religionis studio, cui deditus erat *Muretus*, vltimorum societatis christianae doctorum auctoritatem iusto maiorem existimet, et *Plutarchus*, ex quo eadem opinio hausta dicitur, etiamsi maioris fidei scriptor esset, tamen in tanta veritate atque copia, quanta in describendo *Cimonis* matrimonio vitur, ne verbum quidem profert, ex quo haec sententia possit extorqueri. Nihil igitur superest, quod *Nepotem* vrgeat, quodque ad infringendam eius criminationem, a *Mureto* factam, adhuc adiciendum videatur, alterum nunc persequar, ad quod hac in commentatione mentem intendere constitui.

*Nihil est tam populare, quam bonitas, nulla de virtutibus nec admirabilior, nec gratior, misericordia, est. Homines enim ad Deum nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Prata, et arua, et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur, hominum caritas et amicitia gratuita est.* Haec, et eiusmodi cogitata iam in *Cimonis* animo tantam habuerunt vim, quantum vix villo in homine habuisse leguntur, quantumque postea vix ipso in *Cicerone* habuerint. Huius enim liberalitas tot a *Nepote*, *Theopompo*, et *Plutarcho* laudibus extollitur, ut verbis dici nequeat, in quam admirationem abripiamur. Licet enim nonnulli sint, qui in historiae monumentis, praeter alias res praeclare gestas, vel eo etiam nomine gloriae immortalitatem sibi compararint, quod vnum itemque alterum beneficentiae documentum exhiberent, tamen haec virtus per se non solum in victoribus tam rara est, ut pauci inueniantur, quorum palmam insigniorem splendidioremque reddiderit, sed tot etiam, quot de *Cimone* memoriae tradita leguntur, neque antea, neque postea edidit quisquam. Compluribus locis praedia hortasque habebat, sed nemo impediabatur, quo minus rebus, quibus vellet, fruere, semper eum pedissequi cum numis sunt secuti, ut si quis opis suae indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo

videretur, negare, quotidie sic ei coena coquebatur, ut, quos inuocatos vidisset in foro, omnes deuocaret, nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletauit, complures pauperes mortuos, qui, vnde efferrentur, non reliquerant, suo sumtu extulit, ut sic se gerendo minime sit mirandum, si et vita eius fuerit secura, et mors acerba. Quis non obstupescat, tantam munificentiam legens atque audiens? quis non comprimatur admiratione huius continentiae, qua *Cimon* pecunias, ab hostibus deuictis praeclauis reportatas, neque perdidit in voluptatum deliciis, profusa conuiuia, luxuriosas computationes, aut lusus, cum prodiga fortunarum dissipatione coniunctos, amans, neque occupauit, inique et sordidi foenoris cupidus, sed in beneficiis distribuendis, quibus pauperibus atque egenis opem auxiliumque ferret, collocauit? Sed missa haec faciam, consilium, quod specto, longe aliud postulat. In augenda nimirum huius belli ducis liberalitate *Nepos* hoc quoque commemorat: *saepe cum aliquem offensum fortuna videret, minus, bene vestitum, suum amiculum dedit*, quae verba non alium admittunt sensum, nisi hunc: *Cimon* vel eo benignitatis atque commiserationis progrediebatur, ut, si quem vidisset, qui, siue paupertate, siue egestate pressus, dilacerato hinc inde pallio incederet, ei statim illud daret, quo ipse erat tectus. Omnes, quos vidi, interpretes studium operamque consumunt in voce *aliquem*, et in exploranda loquendi forma *offensus fortuna*, ego vero de neutro laboro. Quodsi enim vocabulum *aliquem*, ut nonnulli, contra omnes, qui huc vsque reperti sunt, codices, in gratiam aliorum historicorum, malunt, cum voce *senem* permutaueris, non nego, aliquid conferre te, quo minuatur mea de huius loci integritate dubitatio, quia sic mihi probabilior videtur *Cimonis* in senectutem, quamquam huius honestissimum domicilium non *Athenis*, sed *Lacedaemone*, erat, honor atque reuerentia, at vero non tollitur id, quod mihi maximum scrupulum iniicit, altera vero locutio *offensus fortuna*, siue illam cum *Lambino* ita interpreteris, ut denotet *hominem, cui fortuna erat iniqua*, siue cum *Staueruio* atque *Freinshemio* de homine intelligas, qui *Cimoni casu erat obuiam factus*, multo minus difficultatem, qua vexor, remouet, quamuis facile cedam, mihi non placere *Lambinum*, quia nonnunquam vocem *fortuna* pro *forte* usurpatam (sicut etiam *forte fortuna*) legi, et vitium scripturae, quod



quod hic deprehendi putatur, mihi veri similis videtur, quam Latinitas huius dicendi modi: *offensus fortuna*, quia dicendum fuisset: *offensus a fortuna*, quae tanquam *Dea*, celebratur. Haec potius verba sunt, de quibus sollicitus sum: *suum amiculum dedit*, et illorum ratione habita dixerim, me longe alia ab iis expectasse, qui *Nepoti* collustrando tempus industriamque consecrarunt, quam vere apud illos inueni. Quamquam enim *Iosephus Scaliger* in Prolegomenis de emendatione temporum *Sulpicium Seuerum* ecclesiasticorum purissimum scriptorem nominat, *Lactantii* in primis immemor, tamen vix risum tenere potui, cum cernerem, eius *Martinum Episcopum* hic, ad confirmandam *Cimonis* consuetudinem, adduci, et *Smyrnaeorum* apud *Tacitum* exemplum multo ineptius est, quam quod hic accommodari possit. Quod enim omnes in concione *semel*, et quidem *prudencia civili incitati*, fecerunt, id sane iniquissimo modo ad illum transfertur, qui sola *commiseratione* atque *liberalitate* impulsus idem *saepissime ex more* fecisse dicitur. Opus igitur est, vt aliud remedium loco huic sanando afferam. Mihi mutanda videtur lectio, sed ita, vt in locum vnus tantum vocis aliam substituam. Legendum nimirum censeo non *suum*, sed *seruum*, pro *seruorum*, et quatuor potissimum sunt argumenta, quibus hanc mutationem stabiliri posse iudico. Jam primum perpendas, quaeso, quam facile hoc loco error in describendo a *Probo* committi potuerit, quantaque sit vtriusque vocis similitudo! syllaba *er* in vocabulo *seruum* facile praeternitti potuit, praesertim voce nota per compendium scripta, maxime a tam imperito et negligente homine, cuiusmodi fuit *Aemilius Probus*, cui sane, vt *BARTHIVS* in *Aduersariis* iam statuit, plurima illorum vindicanda sunt, quae *Nepotis* aetas ferre non videtur. Hic tamen omnium corruptionum, quarum culpam sibi contraxit, leuissima fortasse occurrit, quia nihil infert, quod *Nepotis* aureis, quae dicuntur, temporibus indignum videatur, idem potius vnicuique accidere potest, qui in legendo et scribendo celeritati consulit. Deinde *Nepos* in antecedentibus dixerat *PEDISSEVOS SEMPER Cimonem esse secutor*, nonne igitur veri simillimum est, eum nunc, *variationis causa*, scripsisse *seruum*? quodsi enim *Cimon* nunquam *solus* in publicum prodiit, sed *semper* pedilequos, qui a *Nepote* vocantur, comites habuit, etiam tunc temporis illis stipatus fuit, cum in *offensus fortuna*,

*fortuna, eosque minus bene vestitos, inciderat, quanto vero taedio fuisset, si Nepos eandem vocem pedissequorum repetisset, nisi fortasse gratiae negligentiae excusatione (cuius vim, quidquid dicas, ego nondum satis perspicere potui) critices animaduersioni subducere se potuisset!* itaque non quidquam est, quod maiori specie colligi possit, quam hoc, ut scripserit *seruum*, quia de iisdem hominibus sermo erat. Quid? nonne etiam decorum *Cimoni* erat obseruandum? duplici vero modo hoc violasset, si *suum amicum dedisset*. Nam non solum *ipse domum* sic rediturus fuisset, veste exteriori, siue pallio priuatus, sed is etiam *fortuna offensus*, quem viderat, multo pretiosiori amiculo fuisset ornatus, quam quod vitae eius conditioni, et reliquo eius vestitui respondiisset. Augeas, quantum velis, animum *Cimonis* ad benignitatem facilitatemque propensum, dicas, cum omnes omnino facultates, quas possideret, distribuisse, nunquam tamen mihi persuadebis, illum eiusmodi quid fecisse, quod ipsius persona, siue grauitate fuisset indignum, quodque morum vrbانيتati atque honestati repugnasset. Is vero *fortuna offensus*, siue pauper fuerit, siue egenus, quia *pennas ab ipso pauone dono acceperat, a proprio quidem genere non potest existimari repulsus*, attamen quis risum continere potuisset, istiusmodi hominem si tam insigni vestimento amictum vidisset, ut viro ex primorum et principum ciuitatis ordine, quam mendicanti fortasse, similior apparuisset? Quae omnia si ad vivum resecantur, facile complecti possumus, *Nepotem* non scripserisse *suum amicum*, serui alicuius pannus crassus atque tenuis isti hominioni conuenientior erat, meliusque sedebat, et *Cimon* sic non redibat domum pallio orbatus, quod apud *Graecos* non minus indecorum atque turpe fuisset, quam si quis *Romae*, ut *Cicero* contra *Verrem* probat, sine toga in adspectum publicum prodisset. Consulamus denique alios historicos, qui eiusdem imperatoris vitam commemorant, videamus, quid *Theopompus*, quid *Plutarchus* referant. *Plutarchi* verba, huc spectantia, haec sunt: *αὐτῶ δὲ νεανίσκοι παρέπιποντο συνήθεις, ἀμπεχόμενοι καλῶς, ὃν ἕκαστος, εἴ τις συντύχοι τῷ Κίμωνι τῶν ἀστῶν πρεσβύτερος, ἤμφισπόμενος ἐνδεῶς διμειβετο πρὸς αὐτὸν τὰ ἱμάτια*, h. e. comitati sunt *Cimonem* iuuenes consueti, siue serui familiares, bene vestiti, quorum singuli, cum quis ciuium *seniorum*, vili pallio amictus, *Cimoni* obuiam erat factus, cum illo vesti.

*vestimenta mutabant.* Permultum sane est, quod ad commendandam coniecturam meam hic locus conferat. Nam primum expresse dicitur ἂν ἕκαστος διμείβετο τὰ ἱμάτια, siue quorum *singuli mutabant vestimenta*, vt manifesto appareat, non *Cimonem* ipsum, sed *seruum* quendam dedisse amiculum, deinde etiam hi νεανίσκοι vocantur ἀμπεχόμενοι καλῶς, *bene vestiti*, exinde vt opinari possis, illos ideo elegantiore vestitum induere a *Cimone* iustos esse, quem vnicuique ciui, cuiuscunque ordinis, si modo esset ἠμφοισμένος ἐν δῶς, *tenui veste tectus*, offerrent. Quoniam vero *Plutarchus*, nisi aliud adhuc testimonium in promptu est, quo idem, quod ipse narrat, confirmetur, suspectae fidei scriptor nonnullis videtur, hinc *Theopompus* illi praeflo sit, dicens: ὅποτε τῶν πολιτῶν τινα ἰδοὶ κακῶς ἠμφοισμένον, κέλευε αὐτὸν μεταμφιένυσθαι τῶν νεανισκῶν τινα τῶν συνακολουθούντων αὐτῷ, h. e. cum videret ciuium aliquem, leuidenti pallio circumdatum, iussit aliquem illorum inueniunt, qui ipsum sequebantur, cum istiusmodi homine vestimentum mutare. Quamquam enim omnibus, qui *Theopompo*, calumniae crimine alioquin accusato, non admodum beniuoli sint, hoc dare non recusauerim, POLYBIUM in *Excerptis de Virt. et Vit.* ex lib. VIII. illam valde augere, tamen *Athenaeus* industriam eius laudat, et DIONYSIVS HALICARNASSENSIS eum nec laboribus, nec sumptibus pepercisse testatur, quo minus sedulo in omnia prius inquireret, quam ea memoriae traderet, imo VOSSIVS de *histor. graec.* eundem virum veritatis studiosissimum praedicat, cui saepe diuerfas ab aliorum de viris illustribus narrationes veri studium exortitiae iudico, et WESSELINGIVS contendere se posse opinatur, DIODORVM SICVLVM in describendis *Philippi* rebus *Theopompi* vestigia legisse, vt non sit, quod verear, ne quis mihi succenseat, eiusdem historiae quod tantam fidem tribuam. Praefat igitur in *Nepote* pro: suam amiculum legere *seruum amiculum*, quod vt comprobarem, mihi animus fuit. Non enim puto, fore, vt quis neget, vocabulum νεανίσκος, quemadmodum apud *Polybium* de *militibus*, ita etiam de *pueris*, siue *seruis* adhiberi, aut verbum *dedit*, quo vsus est *Nepos*, per dari iussit explicari posse. Illud enim neminem fugit, quamuis non legerit CASAVBONVM ad *Apparat. Ansal. Baron.* §. 91. si modo ipsa Graecorum lectione cognoverit,

verit, vocem *νεανιω* et *νεανιωου* de vnoquoque homine vsurpari, qui *actate adhuc florente et robore iuuenili* est, ita, vt frequentiori voci *νεανιος*, si sermo de *seruis* est, sublitui possit, hoc vero si confirmandum esset, permultos locos, vel ex ipso *Nepote*, afferri possunt, quibus verba, *adionem indicantia*, illis etiam tribuuntur hominibus, qui non ipsi *adionem susceperunt*, sed illam *imperarunt*, aut *procurarunt*, vnde etiam apud *Criticos praegnantium* appellatio orta est, quid? quod *utriusque foederis diuini* libri eiusmodi verborum exempla continent, v. c. 2. Sam. XII, 5. Ioan. IV, 1. XIX, 1. et plura

GLASSIVS collegit *Grammat. S. S. I. III, 22.*



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112




TA → SL  
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





FRI  
DIEM

68  
ETAE  
VICVM

LY  
QVATV

EM  
S  
NIBVS

M. CA

ENIS

EX OFFI

8 r.

